



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam  
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna  
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

**Vastovius, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.**

Botildis Regina Dan.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38534**

BOTILDIS REGINA  
FLORUIT ANNO  
CHRISTI 1102.

PASCHALI II. Pontifice.

HENRICO III. Imperatore.

JNGONE IV. Rege.

B. Botildis nu-  
bit Regi Da-  
nia.

Pellicibus præ-  
fertur.

Iniuria pa-  
tiens.

Amasius Regis  
obsequia præ-  
stat.

Rex in Palesti-  
nam peregre i-  
ter suscipit.

Eum Botildis  
subsecuta.

Hierosolymis  
moritur.

Sepulta in val-  
le Iosaphat.

**B**OTILDIS in Suecia nobili genere orta Patre Tur-  
gogo, seu Trugillo, Auo Vlphone Gallonis, ob for-  
mam ac morum præstantiam Erico II. Daniae Re-  
gi matrimonio copulata, raræ atque admirandæ  
patientia exemplo, singulariq; moderationis beneficio po-  
steritati insignem nominis sui cõmendauit memoriam. Cum  
enim Rex cæteroquin laudatissimus, vinculi coniugalis per-  
tæsus, pellicum teneretur amoribus, Botildis tantam mariti  
insolentiam inuicta sustinuit mente. Nam puellas quas ab eo  
adamari præfererat, ne clarissimum Principem turpitudinis  
reum ageret, cum alius modus malo medendi nullus occur-  
reret, maternæ dilectionis officii prosequeretur: eoque se  
demisit, vt & propriis eas manib. exornaret, & ancillæ ad in-  
star deseruiret. Itaque non solum mariti flagitium dissimula-  
tione texit, sed etiam odium merentibus amoris sui raptrici-  
bus obsequiis gratiam compensauit. Dehinc religiosæ pere-  
grinationis suscepto proposito, Rex terram Palestinam diui-  
næ dispensationis memoria Venerabilem adire constituit.  
Nec deses Botildis ad consecranda mariti studia animus fuit,  
quem quidem eodẽ voto, quamuis diuiduo toro secuta, pro-  
fectionis meritum pudicitia cumulauit. Cæterum iter longũ  
ingressa, multis terra marique peruictis difficultatibus, vbi  
tandem Hierosolymam attingit, votumque læta compleuit,  
diem clausit extremũ. Sepulta in valle Iosaphat Anno salutis  
Millesimo centesimo secundo, quo anno Ericum quoque in  
Cypro vitæ ac peregrinationis labor absumpsit.

De ea Saxo Gram. lib. 12. Helmoldus in Chron. Sclauorum.

S. R.A.